

The *Manipulus/Scotichronicon* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/Scotichronicon/index.html>)

Maria g

...et ut de ceteris eius virtutibus taceam

corde erat humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi
affabilior, ulciscendi tardior, remittendi paracior;

multum amabat humiles, corripuit arrogantes.

Non fuit gestis fraccior, non incessu dissolucior,
nec voce petulancior; sed ipsius corporis et habitus species
intuenti fuerat simulacrum mentis, et figura probitatis.

Quid in singulis morer?

Scotichronicon, 6.56 (Watt ed., vol.3, pp.430/432, ll.3-9).
[Not recognized as a quotation or paraphrase.]

Quid nobilis Dei matre? Quid splendidius ea quam
splendor elegit? Quid castius ea que corpus
sine corporis contagione generauit?

Et ut de ceteris eius uirtutibus taceam,

uirgo erat non solum corpore sed eciam mente;
corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi
parcior, legendi studiosior,
non in incerto diuiciarum sed in prece pauperum spem
reponens, intenta operi, uerecunda sermone; arbitrum mentis
non hominem sed Deum querere, nullum ledere, omnibus bene
uelle, maioribus assurgere, equalibus non inuidere, iactanciam
fugere, rationem sequi, uirtutem amare. Quando ista fastidiuit
humilem? Quando risit debilem? Quando uitauit inopem?
Nichil in oculis toruum, nichil in uerbis procax, nichil in actu
inuercundum;

non gestus fractior, non incessus solutor,
non uox petulantior; ut ipsa corporis species
simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

Talem hanc ewangelista monstrauit,
talem angelus repperit, talem Spiritus Sanctus elegit.
Quid enim in singulis morer
que digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur?

Ambrosius de uirginitate libro II.

Manipulus florum, Maria g

Quid nobilis dei matre? Quid splendidius ea, quam
splendor elegit, quid castius ea, quae corpus
sine corporis contagione generauit?

Nam de ceteris eius uirtutibus quid loquar?

Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo
doli ambitu sincerum adulteraret affectum:

corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi
parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitarum, sed in
prece pauperis spem reponens, intenta operi, uerecunda
sermoni, arbitrum mentis solita non hominem, sed deum
quaerere: nulli laedere os, bene uelle omnibus, adsurgere
maioribus natu, aequalibus non inuidere, fugere iactantiam,
rationem sequi, amare uirtutem. Quando ista uel uultu laesit
parentes, quando dissensit a propinquis? Quando fastidiuit
humilem, quando risit debilem? quando uitauit inopem eos
solos solita coetus uirorum inuisere, quos misericordia non
erubesceret neque praeteriret uerecundia? Nihil toruum in
oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuercundum:
non gestus fractior, non incessus solutor,
non uox petulantior, ut ipsa corporis species
simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

Ambrosius Mediolanensis, *De uirginibus*, 2.7 (F. Gori ed.,
pp.168, 170).

Talem hanc euangelista monstrauit,
talem angelus repperit, talem spiritus sanctus elegit.
Quid enim in singulis morer,
ut eam parentes dilexerint, extranei praedicauerint,
queae digna fuit ex qua dei filius nasceretur?

Ambrosius Mediolanensis, *De uirginibus*, 2.10 (F. Gori ed.,
pp.172, 174).